

Dissertatio medica inauguralis de cynanche tracheali.

Contributors

White, Thomas, 1763-1793.
Baillie, Matthew, 1761-1823 (Associated name)
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Leiden : Apud S. et J. Luchtmans, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ttffswty>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI GEORGII OOSTERDYK,
IOANN. FIL.

MED. DOCT. MEDICINÆ THEORETICÆ ET PRACTICÆ
PROFESSORIS ORDINARIJ,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MÈDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privi-
legiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit

T H O M A S W H I T E,
A N G L U S.

Anat. & Art. Obstetr. in coll. Art. & Scientiarum Mancun.
PRÆLECTOR, ET

Soc. Phys. Lit. ibid. Soc. --- Soc. Med. Londin. Soc. Hon.

NEC NON

Soc. Reg. Med. & Soc. Nat. Hist. Edin. Soc. Extraord. &c. &c. &c.

Ad diem XXI. Julii 1786. H. L. Q. S.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD SAM. ET JOH. LUCHTMANS,

M D C C L X X X V I.

Spectemur agenda.

OVIDIUS. —

V I R I S
E G R E G I I S, D O C T I S Q U E
M E D I C I S
T H O M Æ P E R C I V A L

Soc. Reg. & Antiq. Lond. Soc.

nec non

Soc. Reg. Med. Parif. Sodali:

Med. Extraor.

&c. &c.

JOHANNI COWLING }
ALEX: EASON } Medicis Ordinariis.
JOHANNI LATHAM }

nec non

V I R I S
eximiis & in re Chirurgicâ Peritissimis
C A R O L O W H I T E

Armigero, Societ. Reg. Lond. Soc. &c. &c.

Patri præstantissimo semperque venerando. —

E D U A R D O H A L L

R I C A R D O H A L L

in Nosocomio Mancunienfi maximo pauperibus
solatio artem Hippocraticam benignè feliciterque
exercitantibus,

*hanc Dissertationem eo
quo par est officio*

D. D. D.

A U C T O R.

J. Baillie from his
M^gl humble serv^t
The Author

DISSE RTATIO MEDICA

I N A U G A R A L I S

D E

CYNANCHE TRACHEALI.

Quum primum nascuntur infantes multis ac periculosis morbis obnoxii fiunt. Corpora eorum tenera ac sensu acutissimo prædita facile irritamentis excitantur, perturbantur, extinguuntur, quæ majorem ætatem adeptis admota, parum aut nullum incommodum afferrent. Illis ferè proprius est morbus de quo nunc dicturus sum.

Quo teneriore ætate fruuntur eo magis huic vitio opportuni sunt: nec forsan post annum XII^m. aut XV^m. unquam occurrit. Pauca enim exempla ab auctoribus narrata ubi morbus adultos invadere pu-

6 DISSERTATIO MEDICA

tabatur, multum ab hoc malo infantili differebant (a). Illi varia nomina imposuerunt varii scriptores; quippe quod à Home *suffocatio* STRIDULA a D^{re} Crawford CYNANCHE STRIDULA, a Michaelae *Angina Polyposa sive Membranacea* & ab Illustr. Culleno *Cynanche Trachealis* vocatur: hujus definitio sequitur.

„ Cynanche (b) cum respiratione difficili, inspiratione strepente, voce raucâ, tussî clangosâ, tumore ferè nullo in faucibus apparente, deglutatione parum difficili & febre synocha ” (c).

Cur inter Phlegmasias Cynanchen Trachealem recensuit eruditus ille Nosologus, ex historiâ satis constabit. —

HISTORIA MORBI. —

Hic morbus non contagiosus sed plerumque epide-

(a) Vide Michael. pm 72. & hanc dissertationem postea.

(b) Vide Nosol. Method. Cullen.

(c) Hæc febris non quidem contagiosa est, sed alioquin Synochum potius quam Synocham referre videtur. vide Historiam morbi.

demicè grassatur, & præsertim hiemali & vernâ tempestatibus. — Quibusdam in regionibus endemius observatus fuit, quanquam loca mediterranea non secus ac oras maritimas habitantes afflixit. Interdum sporadicus, id est, singulos raro & passim tantum adoriri visus est. —

Sæpe incipit cum solitis Catarrhi signis, aliquando autem symptomata huic morbo propria primo sese ostendunt. Æger nunc minus quam antea hilaris, si jam suas querelas eloqui didicerit, dolorem obtusum ad partem asperæ arteriæ superiorem manu premente auctum, conqueritur. Spiritum trahit molestè. Vox fit rauca unâ cum stridore sive clangore acuto peculiari inter spirandum vel loquendum, sed præcipuè notabilis ubi tussim vel fletum aliquid excitârit. Hic sonus non facilè describendus, similis est illi qui transit per tubum aheneum, atque ab auctioribus galli cantui comparatur. Tussis quæ plerumque frequens adest, sicca, brevis & interrupta.

Si quando eam sequitur materies excreata, hæc fere ejicitur parum copiosa, purulenta aut puriformis ac frustulis membranaceis mista. Huic non

8 DISSERTATIO MEDICA

nunquam accedit vomitus, quo liberius excreatur. — Deglutitio rarò solito difficilior. — Nil mali in faucibus observandum, nisi quod in quibusdam exemplis partes glottidi circumjacentes leviter rubræ & tumidæ deprehensæ. — Arteriarum pulsus sub initio frequentes, fortes & duri, postea autem molles & debiles. Cutis est arida, perspirationis imminutæ signum. Sensus caloris ingratus, cum inquietudine & anxietate, ægrotum vexat. Sitis maxima. Alvus plerumque astricta nec raro distensa. Manus pedesque interdum tumore inelastico afficiuntur. — Urina primo limpida, postea fæces albas vel subfuscas dejicit. — Hæc mala, nonnumquam per sex dies aut longius, parvulum ægrotum premunt; at sæpius dyspnæa subito ingravescit, & respiratio tanto stridore absolvitur, quantus longe aures ferit. — Pulsus intermittentes fiunt, adeoque celeres ac debiles ut vix sentiri, nedum numerari, queant. Color faciei aliquando ruber lividusque. Quoties inspiratur, humeri elevantur, & suspirium sequitur expirationem. — Caput & pectus sudore viscido & frigido madent. Membra de-

denique extrema frigescent. — Oculi obscurantur, & sitis augetur, dum æger potum haurire non audeat. Per totum morbi decursum mens & sensus integri manent. Sæpè mirum in modum omnia levantur brevi ante mortem; adeo ut ubi immineat inevitabile lethum, æger liberè comedat & more solito ludat, mox verò strangulatus miserandâ forte periturus. —

Quod ad durationem morbi attinet; sæpe lethalis ante diem quartum: ubi felicem eventum habiturus est, symptomata circa diem 5^m. sextumve vel paulo citius mitescent. — Multis in casibus membrana tubuliformis aut ejusdem portiones cum materie purulentâ ore ejiciuntur. — Nec deest exemplum ubi hujusmodi materiei exitum bronchotomia cum maximo successu præbuit, quod infra proprio loco referam. — Denique non prætereundum est, hunc morbum, de quo agitur, aliquando eundem ægrum post longum intervallum iterum invadere; hoc vero minus frequentur observatum fuit. — Huic symptomatum enarrationi proximè subjungam signa morbida a sectionibus cadaverum eorum Cynanche Tracheali mortuorum de-

testa, quæ vel auctores de hæc re scribentes traderunt vel mihi ipsi videre contigit. —

Caput externum indicia manifesta sanguinis in venis congesta ostendit, nempe faciem tumidam ac livefcentem, venas oculorum & colli turgidas. —

Fauces fere omni inflammatione immunes irveniuntur. — Exemplum quintum a Dre. Homeo-
descriptum amygdalas habet tumidas & mucum tenacem circa glottidem. — Fistulæ aëreæ plerisque in casibus inhærere reperiébatur tubus membranaceus præternaturalis, asperæ arteriæ formam quam proximè referens, diversâ longitudine, nunc ad partem superiorem, nunc ad inferiorem initium capiens, & sæpè in ultima bronchia extendens. — Hæc membrana plerumque colore albo & variâ densitate est prædita, interdum tenuitatem unguis vix adæquans, interdum vero totam laryngem ferè implens. — Tenacitatem non parvam habet, quanquam in nonnullis exemplis facile laterabilis, nec raro, in substantiam mollem & pulposam definens. Eadem, ab suâ sede, sine vi detrahitur, eique sæpe circumfunditur magna copia humoris puri-

puriformis vel nonnunquam mucii spumosi. —
Hoc corpore peregrino amoto, tunica Tracheæ
propria, in multis rubrior solito vel etiam inflam-
mata, apparet.

Quin & Pulmones ipsi, licet frequenter sani, sæ-
pius præter solitum rubescunt, turgentque; & non-
nunquam per eos passim observantur maculæ nigræ. —
Ex iisdem incisus liquor puriformis sanguine mistus
effluit; nec defunt exempla, ubi eorum substantia
ipsa exulceratione multum fuit attrita & corrupta. —

Cadavere pueri annos undecem nati secato, qui
in nosocomium Edinense duos ab hinc annos erat
admissus, & circa diem morbi 24^m. extinctus, præ-
ter quædam ulcuscula ad summam laryngem & tubu-
lum membranaceum Cynanches Trachealis comi-
tem, pleura & portio pulmonis dextri admodum
inflammata, pulmo ipse paululum induratus, re-
ferta sunt. Aquæ uncias quatuor cavum thoracis
dextrum, duas sinistrum continuit. —

Ægri historiam addere hic liceat singularem qui viri-
tate, nuperrimè sub curâ medici Clinici peritissimi
Dⁿⁱ GREGORY, symptomatis, nostro morbo, quod
ad multa, simillimis, affectus est, periitque. —

GUL. DENHAM Æt. 34. in Nosocomium Edinense Cal. Januarii an. 1786. admisus symptomatis sequentibus laboravit ; — dyspnœa gravi , inspiratione longâ , tardâ & stridulâ , expiratione ubi urgebat malum , quasi gemitu profundo stipata , magnâ anxietate , sensu constrictionis ad summam laryngem cum deglutitione difficili. His accedebant vox rauca , tussis dolorem leviter pungentem ad imum sternum excitans , & excreatio humoris spissi ac tenacis. Nil inflammatum in faucibus. — Pulsus arteriarum ad 104 in minuto temporis exsurgabant ac duri erant. Cutis sæpè sudore tenace ac frigido tegebatur. Hæc mala , febrem secuta sunt , quæ septem hebdomadis antequam ad Nosocomium venit , desierat. Primo exacerbatus fuerat morbus vesperem versus , vel nocte , at per aliquot dies , manè quoque. — Nullum Medicamentum adhibitum. Sanguinis detractio , emeticum , vesicatorium gutturi , anodyna & vinum rubrum frustra tentata fuerunt. Æger pridie Nonas Januarii & quarto die a quo intromissus erat in Nosocomium animam efflavit. —

Larynge post mortem aperta, nullum signum inflammationis sive concretionis intra Tracheam de-
tegebatur; membranæ autem telaque cellulosa,
quæ cartilagine arytenoidæas tegunt, plurimum
condensatæ sunt, adeo ut duos polypos referrent. —
Glottidi incumbabant ejusque aperturam multum
coarctabant. — Proximè sub his tumoribus, la-
rynx & trachea planè dilatatæ, at circa duos digi-
tos infra ad solitam magnitudinem redire vide-
bantur. —

D I A G N O S I S.

Haud facile dignoscitur hicce morbus a Cynan-
che Maligna. Hæc vero habet signa putrida, ex-
anthemata, ulcera oris aliquando crustis albis ci-
nereisve obducta, atque his crustis decidentibus &
excreatis, dolorem vehementem in faucibus & la-
rynge; quæ omnia desunt Cynanche Tracheali. —
Hanc distinctionem juvabit natura morbi epidemici
benè perpenſa. — Tonsillæ tumidæ & dolentes
atque deglutitio difficilis cynanchen tonsillarem à
Tracheali separant; tumor glandularum parotidum,
Parotidæam.

14 DISSERTATIO MEDICA

In Asthmate Spasmodico, aggressio subita & symptomatum ab initio vehementia, remissiones vel & intermissiones perfectæ, cum exacerbationibus certo tempore redeuntibus, sine voce stridula & laryngis dolore manu premente aucto, qui sit morbus, satis indicant. — Ad hoc pulsus, asthmate laborantium, parvus, frequens, contractus, irregularis, in morbo de quo agitur, primo plenus ac durus, postea mollis debilisque. —

Tussis gravior, & certioribus magisque distinctis temporibus rediens, occurrit in pertussi; quæ quoque vocem habet longe aliam ac in morbo quem nunc tractamus, & caret omni dolore ad summam laryngem. — Pneumoniæ desunt vox stridula & dolor tracheæ, ejusque symptomata paulatim crescunt, dum leves saltem remissiones Cynanche Tracheali contingunt. —

CAUSÆ MORBI.

Constitutione infantum aliquid inesse videtur, quod eos huic morbo procliviores facit; rarissimè enim ut supra dictum, post puberem ætatem invadit. —

Qui

Qui morbi pulmonibus ante infederunt, ad Cynanchen Trachealem proclivitatem gignunt; quales sunt Catarrhus, Pertussis, Morbilli. —

Hanc ægritudinem inducunt frigus & subitæ cœli mutationes. Verisimile quoque est, aëris statum nimis humidum eandem excitare posse, vim autem aëris a mari venientis nihilo majorem esse quam illius a regionibus mediterraneis. — Quousque hæc Cynanche particeps est inflammationis docent pulsus frequens & durus, dolor trachæ, calor & fitis. Idem plenius commonstrant observata in eadaverum sectione, natura causæ remotæ, remedia, & similitudo membranæ hujus mali, concretionibus aliarum partium ab inflammatione ortis. —

Est & alia series indiciarum in hac anginâ quæ diversam originem agnoscit. — Tussis, vomitus & Dyspnæa, remissiones vel & intermissiones subeunt; ægri quoque perierunt, ubi nulla membrana quæ vias respirationis penitus implere sufficisset, post mortem inventa est. Talia symptomata forsitan musculis laryngis irritatis & spasmo affectis propter inflammationem præcedentem attribuenda sunt. — Præcedente morbo, trachea, licet non

omnino obstructa, tamen adeo coarctatur, ut materies noxia, quæ sano corpori a pulmonibus nunquam non exhalatur, satis expelli nequeat, quodque utile ab aëre derivatur inspirari non possit. Hoc modo symptomata graviora facta & eventus lethalis aliquando inducitur — (a).

Quoniam corpus peregrinum quod nostrum morbum tam sæpe comitatur atque insignit, lympham post inflammationem effusam & concretam, nec non crustam coriaceam sanguinis in Phlegmasiis missi quam plurimum referat, illud ex eadem causâ pendere Doc^{bus}. CULLENO, MONRO, & MICHAËLO existimantibus assentire non dubitamus.

Cur hæc Cynanche una ex Phlegmasiis ætatem teneram potius quam adultam invaderet, dum cæteris inflammationibus omnino contrarium accidit, nobis explicatu difficillimum. — Verum neque ratio redditur, cur frigus variis hominibus vel iisdem diversis temporibus admotum, nunc Catarrhum, vel cynanchen tonsillarem, aliàs Rheumatis-

(a) Prælectiones D^{nis} MONRO apud Edin.

tisimum aut Pneumoniam vel denique nullum incommodum excitaret. —

Nam morbus, de quo agitur, adultos pariter ac infantes revera aggreditur, at illis quam his levior minusque lethalis evadit, quia corpori infantili mobilitas multo major existit; vires autem ad id quod Tracheam obstruit ejiciendum valdè deficient?

Spatium breve hujusmodi dissertationibus permis-
sum omnes opinioniones, omnia argumenta auctorum de causâ proximâ plenè tradere, refellere aut confirmare non sinit. His autem perlectis atque probè consideratis, quod mihi verisimillimum apparebat, id descripsi. Si in re tam obscurâ minus rectè putaverim, nemo illud mihi vitio vertat. Nam in hoc ut in aliis morbis curandis regulam magni Præceptoris (a) semper observare juvabit:

Talem curationem proponere qualem non solum suggerit ratio, sed probavit experientia quoque. —
At priusquam methodum medendi consideramus, indaganda est

P R O:

(a) Vide Pref. of Cullen's first lines p. 47.

P R O G N O S I S.

Hanc ægrotationem plerumque lethalem fore ex tristi experienciâ prædicere docemur. Attamen si ægrotus morbis pulmonibus præcipuè infestis (quales sunt variolæ, morbilli, pertussis) brevi antea non laceffitus fuerit; si morbus recens, si sanguinis plenitudine non oppressus, si porro dyspnæa ~~audita~~ gravis voxque stridula non nisi inter clamandum vel tussendum audire possit, valetudinem in melius mutatum iri spes est.

In historiâ morbi narrandâ, supra notavimus quam cautè judicare vel affirmare debet medicus, ægrum ex omni periculo evasisse, cum mali remissio aut intermissio eveniat: quippe quæ brevi ante mortem aliquando videntur. — Nec desperandum est, etsi perdifficilis sit respiratio, vel ubi per materiem ore ejectam, membranam tracheæ inhærere pro certo compertum habuerimus. Quidam enim hoc modo ægrotantes, nullis remediis adhibitis, sanitatem recuperaverunt; & adhuc in manibus est, tracheam incidendo, haud parvum levaminis vel & auxilium efficax, afferre. —

CURATIO MORBI.

Consilia Medendi sequentia esse possunt.

I^{mo} Diathesin Phlogisticam & fistulæ aëriæ inflammationem amovere. —

II^{do} Symptomatis maximè prementibus obviam ire. —

III^{tio} Ne Morbus iterum recurrat, præcavere.

Remedia præcipua his consiliis accommodata in hac tabulâ recensentur. —

I. Diathesis Phlogistica & fistulæ aëriæ inflammatio amovetur. —

A. Sanguinis detractio,

a. e venâ per scalpellum

b. per hirudines gutturi admotas.

B. Vesicantibus.

C. Alvi purgatione.

D. Regimine Antiphlogistico.

II. Symptomatis maximè prementibus succurritur. —

E. Emeticis.

F. Bronchotomiâ.

G. Emeticis post tracheam incisam datis.

H. Vaporibus aquæ tepidæ & aceti in fauces
vel in vulnus, ubi infligitur, exceptis. —

I. Balneo tepido, pediluvio, fomentis. —

K. Quibusdam Antispasmodicis, quæ in hoc
morbo adhuc intentata, at in multis malis
spasticis utilissima reperta, cujusmodi sunt
a. opium.

b. Ipecacuanha.

c. Electricitas.

III. Morbus recidivus præcavetur.

L. Causis occasionalibus vitandis.

M. Diætâ, vestitu, exercitatione idoneis.

N. Balneo frigido.

O. Cortice Peruviano.

P. Loci aut Cœli mutatione.

De horum singulis nunc paulo fusius differere
aggrediar. —

I. Auxilia adversus inflammationem quam citissi-
me in morbo usurpari debent; quorum primum
& utilissimum est,

Sanguinis detractio. Sanguis (a) liberè mitten-
dus

(a) Medici filius nuper me certiores fecit, se puerum
Cy.

das prout pulsus & vires ægrotantis facile ferant. Primum è brachio vel vena jugulari per scalpellum emittatur, adeo ut satis magna copia brevi effluat; postea admoveantur hirudines superiori & anteriori gutturis parti, atque ut liberior sit fluxus, foveantur vulnera panno lineo aquâ tepidâ madefacto. —

At cavendum est ne hæc evacuatio nimis copiose aut nimis fero in morbo instituta fuerit. Ita enim labefactantur vires, quibus ægro opus est, ad materiam morbosam è Tracheâ expellendam. —

Vesicatoria. Post sanguinis missionem, vesicantia quam proximè parti affectæ sunt imponenda, veluti circa guttur externum, vel pectori. Vulnera ab Hirudinibus (si quæ admotæ fuerint) prius linteo raso tegere oportet. Haud parum quoque profuisse dicuntur Opium & Camphora & emplastro vesicatorio admista. Hæc si actionem cantharidum ita temperent ut earum absorptionem impediant vel do-

Cynanche Tracheali affectum fuisse, atque per venesectionem accessione morbi institutam sanatum; eandemque affectionem, complures post menses recurrentem, sanguine mittendo primum multum levatam, & die secundo auxilio renovato, prorsus fuisse sublatam. —

dolorem minuant, certè merito laudantur. Maximi enim momenti erit in hoc morbo quidquid flentum excitaret evitare. Nam pectus inter flendum multum laborat, voxque admodum intenditur, quo ægrotus subitâ suffocatione periclitatur. Eâdem ratione aliquando utile est, oleum volatile vesicatorio ex Cantharidibus substituere. — At interdum vesicantia eidem parti iterum atque iterum applicare necesse est; ut suos bonos effectus satis præstent. —

Alvi purgatio. Quæ alvum leniter movent, hic optimè conveniunt. At medicamina gustatu jucundissima ad hoc quærenda; cujusmodi est Magnesia cum saccharo in placentas confecta, quibus bono cum fructu usus est Dr. HOME (a). Idem remedium formâ boli alii dare jubent. — Alvum adstrictam Clysteribus ducere ferè semper proficit. —

Regimen Antiplogisticum. Quicquid sensus externos stimulat, calor præsertim externus, quæque tussim excitant, sedulo evitari debent. Aër frigidus

(a) Dissertat. suam vide.

—
 dus & vacuus, nec fumo nec alio vapore noxio vitatus imprimis necessarius. A musculorum motu & exercitatione, quantum fieri potest, abstinendum; cumque vox in hoc morbo admodum suppressatur, æger ad colloquium minimè hortandus est. Cibo opus est levi & parco, ratione tamen habitâ ad priorem ægrotantis consuetudinem de diætâ. — Potus tenuis acidulatus copiosè propinandus est. —

De remediorum jam recensitorum operandi modo nil dicendum putavi; quippe quæ mihi in hoc ut in aliis morbis inflammatione stipatis agere videntur, quæque huic vitio incipienti accommodatissima esse monstravit experientia. —

II. Secundum medendi consilium dirigitur ad symptomata maximè prementia levanda. —

Ex his primam attentionem sibi vindicat spirandi difficultas; quæ sæpè adeo ingravescit, ut suffocatio subita instare videatur.

Hæc molestia vexatis insigne levamen *Emetica* post sanguinem missum sæpè conciliant. Idem remedium morbi initio datum, materiæ in Tracheâ collectæ, quæ vel citò in membranam formata fuisset, vel jam formari inceperit, evacuandæ infer-

fervit; quo non solum spiritus facilius ducitur, sed omnis vis mali primo impetu comminuitur ac superatur. — Quin & hunc humorem sive membranam expellendo, satis manifestum est tussim sublevatam fore, quæ haud rarò ægrotantem admodum lacescit.

Quoniam igitur tanta commoda præ se ferunt medicamina emetica, mirum forsàn videatur Doct. HOME in suo libello, de hâc re conscripto, eorum usum vetuisse. Sin ab uno exemplo judicare fas sit suas sententias cum aliis mutavit. Juveni enim Cynanche Tracheali decumbenti, proxima hieme, dum apud Nosocomium Edinense Medicus Clinicus, emetica sæpius adhibuit, etsi cum parvo vel nullo levamine. —

Auxiliis jam dictis frustra tentatis, atque magis magisque iugravescente dyspnæâ, ad tracheam incidendam confugere necesse est: Operatio hæc Chirurgica terribilis visu, at reipsa omni periculo immunis. — Hâc incisione non solum vias novas ac liberas aëri ingredienti atque egredienti ex pulmonibus aperimus, sed exitum quoque latici Tracheam implenti damus, ac simul occasionem

membranæ, quando hæc generata fuerit, extrahendæ præbemus.

MICHAELIS, me iudice, rectè monet, ne hocce auxilium, donec mors ipsa a strangulatione impendeat, differatur. Æger enim subito glottidis spasmò exoriente non raro extinguitur. Tracheam igitur tunc incidere oportet, quando sanguis satis copiosè detractus atque vomitoria bis vel ter devorata nullum aut parvum levaminis attulerint. In hanc sententiam magis adducor ut irem, quum ante oculos pono ægri historiam mihi nuper communicatam, a viro illo ingenioso Domin. ANDRÉE, qui nunc apud Londinenses artem Chirurgicam feliciter exercet. Quæ mihi de hoc ægro innotuerunt, protinus dicam.

— N. es puer quinque annorum per duos vel tres dies signis Cynanches Trachealis laboraverat, cum Medicus advocatus fuit. Ægrum invenit anhelum, ferè strangulatum. Respiratio enim maxime fuit laboriosa atque spiritûs emissio adeo impedita, ut vix flamma facis speculove prope os admotis sentiri posset. Die Febrⁱⁱ. undecimo anno 1782. rebus ita sese habentibus, emeticum hor. X

a. m. præscriptum fuit, atque omni horâ repeti jussum. Quot emetica devoravit, quidve vomitione ejectum, non didici; sed omnibus frustra usus est. —

Hor. IX. vespertinâ nil remittente morbo, morteque ipsa, minitante, complures Chirurgi Tracheam incidendam esse consentiebant; quod statim perfecit Domin. ANDREE. Incisione factâ, aër magnâ vi proruebat, respiratio protinus facilius abolvebatur, atque æger (cujus vox ante vix audiri potuerat) exclamabat, se nunc levatum, se nunc sanum esse. — Tussis vehementissima per canulam argenteam aut tubum cavum flexilem (a) intra plagæ oras immissa excitata est, nec prius cessavit quam ea penitus fuerant amota. — Dein vulnus panno ex nebulâ lineâ confecto tegebatur. —

Die Feb^{rii}. XII^{mo}. Delirium leve noctu supervenit. Spiritum nunc facilius ducit. Calor & Pulsuum crebritas minuuntur. —

Die Feb^{rii}. XIII^{mo}. Nocte magna copia muci
flavi

(a) Qui Gallicè Bougie vocatur.

flavi pus referentis, (qui a bronchiis planè exscreari videbatur) e vulnere effusa est, totumque thoracem externè humectavit. Hodie facies, & præsertim muscoli oris, levibus convulsionibus afficiuntur. —

Die Febr^{rii}. XIV^{mo}. Pyrexia multo minor, facilis per os spiratio, vox quæ ad hoc usque tempus submissa ac stridula fuit, nunc ad tonum naturalem redire incipit. Mucus minus copiosè ejicitur. —

Die XV^{mo}. Omnia symptomata leviora. —

Posthac nil dignum notatu occurrit; intra mensis unius spatium vulnus perfectè fuit curatum, ægerque ad pristinam sanitatem restitutus. —

Duobus abhinc annis valetudo permansit bona, nec ullum incommodum ab incisione expertus est puer. —

Quanquam autem trachea sic aperta magnum & præsens auxilium præstet, tamen membrana præternaturalis, & simul materies purulenta haud parva quantitate adhuc inhærere persistent. — Ad hæc evacuanda MICHAELIS (a) emetica iterum ad mini-

(a) Vide pag. 230.

ministrare proponit : quorum effectus tunc & utiliores & tutiores fore existimat. —

De remediis Antispasmodicis, ferè nil docente experientiâ, non habeo quod dicam. MILLAR, RUSCH, BUCHAN &c. Assam foetidam & moschum laudant. Hæc autem ab iis in Asthmate Convulsivo plerumque adhibita, raro vel nunquam in Cynanche Tracheali; & quidem optimos effectus tunc solum præstare videbantur, quando vomitionem excitabant. —

Vapores aquæ tepidæ & aceti vel in fauces vel in Tracheæ incisæ vulnus recepti tum partes affectas relaxando, tum excreationem promovendo, utiles fiunt. —

Balneum calidum, quod totum corpus solvat & somnum conciliet, tentari potest. Plerumque satis erit, ægrum demitti inguinibus tenus in aquam tepidam, vel pediluvio uti, vel per pannos laneos foveri. Hoc remedium, modo calor non nimius fuerit, satis tutum est, & spasmos mitiores reddit aut pro tempore tollit. Anne opium, propter vim qua insigniter pollet contra multos morbos spasti-

sticos, in hoc tentare licet? Si utendum sit, clysteribus, admistum forsan optimè conveniet. —

Ipecacuanha quoque parvis dosibus à MICHAËLE (a) monemur uti; quippe quæ trismo, hysteriâ, & asthmate convulsivo, decumbentibus, interdum opitulatur.

Denique Ictus Electrici, quibus morbi hysteric paroxysmos (apud Nosocomium Edinense) protinus depulsos novi, bonos forsitan effectus in nostra cynanche edant, quando subito ingravescit dyspnæa, visque vitalis multum exhauritur. —

Hæc autem Antispasmodica omnia hâc de causâ solâ nunc recensui, quòd malis nostro vicinis optime succurrere reperta sunt. Nunquam enim illa in Cynanche Tracheali tentata fuisse observavi aut audiui. Celso vero momente „Anceps remedium „melius est experiri quam nullum.”

III^{tie}.

(a) Vide Dissertationem pag. 240.

III^{tio}. Quomodo morbo recursus præcaveatur. —


Causæ occasionales cautissimè sunt vitandæ; quapropter vestimentorum ratio habenda est. — Diæta levi ac nutriente æger uti persistat. Se quoque constanter at moderatè exerceat, primo gestatione in curru, postea simul ac vires finant, ambulatione. —

Balneum frigidum ad totum corpus roborandum sæpè optimè valet. — Si quando autem, quod interdum fit, multum incommodi secum adferat, omitti satius erit. — Quin etiam Cortex PERUVIANUS ad vires convalescentis restituendas haud parum confert. Ejus verò sapor plerisque & præsertim junioribus ægris adeo injucundus est, ut eum tegere, ac, quantum fieri potest, gratum reddere, medico inprimis necessarium sit. Hinc Corticem in pulverem tritum atque in bolum per extractum Glycyrrhizæ confectum vel hujus in aquâ solutioni admistum à Doct. CULLENO præscribere docemur; vel in lacte administrare ut me monet Dr. HOPE.

Postre-

Postremo haud absimile est quod coelum aut
saltem locum habitandi cum alio mutare,
proclivitatem ad morbum vincere possit, ut-
pote quod toti corpori sæpè miras mutationes in-
ducit. —

T A N T U M.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

ENGINEERING

PHYSICS

